

## RATIO NOVAE HUJUS EDITIONIS.

**N**ota nimis sunt atque agnita, tot tantisque malevolorum detraetorum in divos quaque manes insurgentium obtreftationibus non extenuata, immortalis Viri, cuius nomen in fronte gerit hic liber, de restauranda historiae naturalis scientia merita, ut illis celebrandis inhaerere, supervacaneus videatur labor: Et ne tironem quidem naturalis scientiae latet, quot quantaque commoda praebeat rerum naturalium studiosis catalogus, in quo uno quasi intuitu, quaecunque novimus corpora naturalia, in suas classes, ordines, genera digesta ac distributa sistuntur, quae in aliorum Virorum operibus arbitrario ordine disposita, per numerosissima volumina dispersa, verbosissime aliquando descripta vix invenias. Sed inter laudes, quas hoc etiam B. Viri opus meretur, haec certe minima est, in qua omne ponunt ejus meritum, qui nomenclatoris titulo eum insignientes ludibrio exponere virum tot meritis illustrem student: Altera enim est hujus operis, de qua nemo alias ante eum jure gloriari potest, praerogativa; descripta sunt omnia, quotquot sua aetate cognita erant, corpora naturalia, aut a sagacissimo atque indefesso Viro ipso observata, aut a discipulis numerosis in omnem terrarum orbem ex euntibus notata, aut incredibili industria ex aliorum fide dignorum Virorum mutuata vel operibus, vel narrationibus.

Omnibus numeris absolutum opus, quis aequus ab humano ingenio exspectabit! quis fanae mentis praestolabitur in

cam-

campo tantopere immenso! Quare hallucinantem hinc inde magnum Virum, nota aut generis aut speciei aliquando imperfectius justo exponentem, limites utriusque et varietatis non semper curatissime definientem, posteris, quae emendari addique possint stabilito jam aedificio, relinquentem, quis vivuperabit, aut extra officii sui regiones vagatum dicet, quum tantum tentaret opus! Adde quod plurimae et emendationes et accessiones a dignis tanto Praeceptore discipulis proficiscantur.

Quum a duodecima systematis naturae editione quatuor iam et ultra elapsa sint lustra, coniunctis tot tantorumque naturae scrutatorum indefessis studiis, scrutinis, itineribus, non potuit non fieri, quin quotidie fere nova detergentur, atque adeo cresceret corporum naturalium cognitorum numerus, ut, his ad ordines et genera sua relatis, novam quasi faciem indueret naturae systema, quod quidem nomen suo operi imponere placuit B. Linnaeo.

Non inutilem ideo, nec ingratam naturum me esse operam spero, dum bibliopolae etiam desideriis satisfacturus, novam hanc, et posteriorum laboribus auctam egregii operis editionem fisto, parum mutatam, si faciem et ordinem species, non nisi duce principe quodam, ex Linnaei praesertim discipulis, viro, et suadente natura ipsa hinc inde alteratum, sed recentius inventis ac detectis generibus et speciebus, suo singulis loco insertis, multopere auctam, amplioribus ex posteriorum laboribus haustis descriptionibus aequa ac synonymis passim locupletatam, ex autoptarum testimoniis et curatioribus scrutinis emendatam.

Congessi igitur et digesti, quaecunque ad hunc meum finem facere poterant, vastissimo librorum, quo Regia Munificentia hanc musarum sedem exornavit, thesauro, et amica eorum, qui huic administrando praesunt, opera, mirifice adjutus;

si quis, hic meus labor est, quamvis ejus etiam partem non  
exiguam in historia quidem mammalium ordinanda curis Ill.  
*Schreberi*, et *Pennanti*, potissimum B. *Erxleben*; in enarrandis  
avium speciebus *Lathamo*; in disponendis insectis Ill. *Fabricio*,  
et summe rever. *Goetzio*; in redigendis ad suum locum recentius  
detectis testaceis summe rever. *Schroetero*; in vermium  
reliquorum historia O. Fr. *Mullero*; in plantis recensendis Car.  
*Linnaeo* immortalis Auctoris filio, et praesertim coniunctissimo  
mihi Ill. *Murrayo*; in minerali regno *Cronstedtio*, ejusque com  
mentatori *Wernero*, Generosiss. a *Veltheim*, Ill. *Gerhardo* et  
*Kirwano*, B. denique *Bergmano* me debere, gratus profiteor.

Habes igitur hic catalogum non eorum modo corporum,  
quae *Linnaeo* suo tempore nota erant, sed eorum quoque, quae  
post ejus fata egregiorum et illustrium ejus discipulorum,  
*Thunbergii*, *Sparrmanni*, *Falckii*, *Solandri*, *Dryandri*, *Forskahlii*,  
O. et I. Chr. *Fabricii*, O. Fr. *Mulleri*, *Brünnichii*, *Bjerkandri*,  
*Retzii*, *Fries Rottboell*, *Schreberi*, *Murrayi*, *Ferberi*, *Pajkuhlii*,  
aliorum ejus vestigiis insistentium Virorum Illustrium *Pallas*,  
*Forsterorum*, *Jacquin*, *Sonnerat*, *Scopoli*, *Pennant*, B. *Leskii*,  
B. S. G. *Gmelini*, *Lepechinii*, *Georgii*, *Hablizl*, B. *Güldenstaedti*,  
*Koelreuteri*, *Gaertneri*, *Houttuyni*, *Storrii*, *Bowlesia*, *Molinae*,  
*Seflini*, *Cetti*, Comitis de *Borch*, Equit. *Dolomieu*, *Fortis*,  
*Andreae*, *Schrankii*, J. et B. Fr. *Hermannii*, *Caroli*, *Gili*,  
*Clavigeri*, *Bancroftii*, *Aubleti*, *Merrem*, *Gouani*, *Gottwaldi*,  
*Zimmermanni*, *Walbaumii*, *Boddaerti*, *Blochii*, *Goetzii*, *Wer  
nери*, *Batschii*, *Broussoneti*, *Meidingeri*, *Loichartingii*, *Berg  
straesseri*, *Schalleri*, *Fueslini*, *Knochii*, *Herbstii*, *Crameri*, *Dru  
ry*, *Seppii*, *Stollii*, *Schaefferi* et *Harreri*, *Geoffroaei*, *Fourcroy*,  
*Cheminizii*, *Martini*, B. *Walchii*, *Spengleri*, *Oederi*, *Weissii*,  
*Weberi*, I. *Milleri*, *Schmiedelii*, *Gisekii*, *Rothii*, G. Fr. *Hoff  
manni*, *Hedwigii*, *Curtis*, l' *Heritier*, *Gloxin*, *Sagii*, *Monne  
ti*,

*ti, Burtini, Saussurii, Voigtii, Brückmanni, Giraud-Soulavie,  
Genßanii, Pini, Abildgaardi, Palafso, La Peirouse, Wulfeni,  
Klipsteinii, Generosiss. de Trebra et Dietrich, Illustriss. Com.  
a Rasoumowski, et aliorum indefessa industria et sagacitate in-  
notuerunt. Neque praetermissa sunt ea, quibus adversarii B.  
Autoris, tot acribus censuris in eum invecti, Illustriss. Com.  
a Buffon, Adanson, Camper, Laurenti, Hacquet, Medicus no-  
stram hanc scientiam auxerunt. Nihil tamen superesse, quod  
aut coaevi aut posteri vel emendent vel addant, ut glorier, ego  
quidem multum absum. Quicunque fata singularum histo-  
riæ naturalis partium animo secum volvit, semelve tentavit,  
constantes et perpetuas ejusdam corporis naturalis eruere no-  
tas, quicunque luxuriosam naturæ in coloribus varietatem  
e. g. in animalibus nostris domesticis (taceam eam, quae hy-  
bridae generationi suos debet natales) novit, novit praeterea,  
in discernendis multis animalium præsertim avium speciebus  
vix ulla dari notas, nisi a coloribus desumptas, novit, easdem  
aves alio atque alio anni et aetatis (ne sexum dicam) tempore,  
in alio atque alio climate soloque viventes, alio atque alio vieti  
utentes, feras et domesticas, aliis atque aliis non raro com-  
parere formis et coloribus, novit, multa et animalia et vegeta-  
bilia, potissimum marina et peregrina, imperfectius esse cogni-  
ta, semel, non omni vitae suae tempore, non in omnibus  
aetatis sexusque variationibus observata, alia ad iconum fidem,  
ad solitaria, mortua, siccata, farta, in spiritu vini asservata,  
variis artificiis (v. g. testacea) mutata, alio alio modo paulu-  
lum deformata et decolora exempla esse descripta; facile ille  
videbit, ab eo perfectionis fastigio longe adhuc abesse historiacæ  
naturalis studium.*

*Quum hoc volumen sub prelo sudaret, hinc inde detecta  
sunt, quibus aut emendari aut augeri posset.*

*Ita*

Ita felici omine accidit, ut zootomorum facile princeps, Ill. *Camperus* in Sirenæ Linnaei, ab *Ellisio act. anglic.* Vol. 56. nuperies delineatam, serpentibus viuentem, in limo se occultantem incideret, et dissecandae illius copia data, branchias utrinque tres veras membranis denticulatis discretas, dentes firmos et validos, ventriculum cordis unicum, intestina longissima et ampla deprehenderet, et ex iis concluderet, verum esse perfectumque pisces branchiostegum, proxime ceterum ad muraenæ genus accendentem, quamvis pinnis pectoralibus tetradaëtylis et ossiculis branchialibus tribus pinnatifidis a reliquis speciebus haud parum diversum.

Duas etiam pisium in oceano occidentali ad littus Bahum repertorum, ut videtur, novas species descripsit nov. act. Stockh. Vol. VII. trim. 1. n. 9. *Euphrasen*, alteram ad insulam Kluedesholm, gobii, uncialem, nigro-punctatam, pinnae dorsalis secundae radiis 8-11, maculaque nigra utrinque ad basin caudæ facile discernendam, pinnae dorsalis primæ radiis 7, pectoralium 15, ventralium coalitarum 8, analis 8, caudalis 12 conspicuam, a Ruuthensparro cognominatam; alteram in Kyrkesund obviam, cotti, supra fuscum subtus albam, scorpione minorem, capite spinoso, sebro, bicorni facile dignoscendam, membranae branchiostegae radiis 6, dorsalis prioris 8, posterioris 13, pectoralium 15, ventralium 4, analis 8, et caudalis 10 conspicuam, bubalis cognomine insignitam.

Detecta etiam fuit nuperius simiae species, homini reliquis omnibus similior, a naso elegantiori nasalis dicta, cuius pleniorem descriptionem ab Ill. *Daubenton* exspectamus.

Dabam Goettingae,  
d. 16. Mart.

1788.

J. FRID. GMELIN.

INTROI-